



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annotationes Ioannis Bugenhagij Pomerani in decem epistolas Pauli

Bugenhagen, Johannes

Basileae, 1524

VD16 B 9232

Capvt III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36165

ANNOT. IOANNIS POMERANI
stor bonus, ut errore nostro docti sciamus quid debeamus
luci Euangelicæ, & saluatori Christo. Nos autem ne ingrati
simus.

Per sanctificationem Spiritus.

Id est, internam sanctificationem, non per carnales
operum iustitias, & hypocrisim illam sanctitatis. Id
quod exponit addens, ac fidem ueritatis: id est ut cre-
damus soli uerbo dei, non humanis doctrinis.

Ad quod uocauit.

Elegit ab æterno, sed uocat per prædicationē Rho-
s. Quos prædestinauit, hos & uocauit &c. Vocauit
autē dicit ad acquisitionē gloriæ Christi, ut eius glo-
riā possideamus, & eius gloria nostra sit: qui scimus
gloriā nostrā, gloriā carnis & operū nostrorū esse
toram deo confusionē & ignominiam, & gloria dei
indignos, qui aliquid suæ gloriæ in se agnoscūt: ut qui
gloriantur, in domino gloriectur. De hac autem gloriā
sepius diximus.

**Ipse autem dominus noster
Iesus Christus & deus.**

Profectū & perseuerantiam eis per deū exoptat.

CAPVT III.

Vt sermo dei currat.

Hoc est quod dicit Matth. 9. dominus: Rogate
dominum messis. Nisi enim deus miserit, nemo

IN EPI. PAV. AD THES. II. 76

feliciter, id est cū fructu auditorum prædicabit. Quos modo enim prædicabunt nisi mittantur? ad Rho. 10. Orandus ergo est, &c.

Et ut eripiamur ab?

Nō hoc pro se orat Paulus, qui paratus erat p̄ Euangēlio mori, ut uides ad Philip. 2. Sed p̄ salute illorū, qui adhuc indigebāt uerbo dei, ut scribit ad Philip. 1. Permanere, inquit, in carne necessarium est propter uos. Sunt autē absurdi homines, qui non solū pugnant cōtra ea quæ dei sunt, quæ nō possunt intelligere: sed etiam contra omnē rationē, sic enim excæcatur, &c.

Non enim omnium est fides.

Hic locus confortat pusillanimes, ne scandalizentur in hoc quod pauci credunt. Nemo enim potest uenire ad patrem, nisi per Christum, Ioan. 6. & tamen ueritas & promissio dei manet. Non potest deus inueniri mēdax, aut infidelis: ut maxime omnes infideles sint, id est non credant dei uerbo & promissioni. de quo dixi in fine epistolæ primæ. Id quod Paulus ad Rho. 3. sic expressit: Quid enim si quidam illorum non crediderunt? &c.

Qui stabiliet uos.

Vides illud ubique in Paulo, atq; adeò in tota sacra scriptura, domini scilicet esse p̄fectum salutis nostræ.

ANNOT. IOANNIS. POMERANI.

et perseverantiam, cuius est et initium, sicut alibi diximus, &c.

Præcipimus autem uobis fratres
per nomen.

Inordinatos uocat, qui præter ordinem aliorum uiuunt, id est, qui cum alij uiuant ex labore manuum, ipsi ex labore aliorum uiuere uolunt, inuento aliquo prætextu, quo hoc eis iure debeatur. Hos uitari iubet, nec solum iubet, sed etiam adiurat per nomen domini nostri Iesu Christi: nimirum præsentiens, quanta pestis Christianæ reipublicæ ex tali ocio erat proditura, ut hodie peruersa appellatione sacros ordines, et ordinatos illos solum appellemus, quos hic Paulus inordinatos uocat. unde et de se scribit: Non inordinate gessimus nos inter uos, neque gratis panem accepimus à quoquam, &c. Tales rursus sunt in ordinem redigendi, sicut hodie ultro redigunt sese multi, ut hic quoque, sicut et in reliquis præstigiū mundo, et fabula uideri digne ostendantur fuisse, scilicet absque ordine Christiano, qui se solos in ordine esse, et in ordine sacro, siue etiam sacratissimo iactitabant, quos tantum abest ut Paulus pro sacris haberi uelit, ut etiam cum adiuratione uitandos esse præcipiat. Tales enim nobis suis doctrinis, scriptis, traditionibus, et hypocritica conuersatione confirmauerunt illam fidei defectionem,
de qua

de qua supra diximus: Ita, ut nemo resipiscere potuerit, nisi tãdem iam miserente deo, reddito nobis sacro Christi Euangelio.

Non quod id nobis non liceat.

Nullis ex iure Evangelico debetur uictus ex labore alieno, nisi prædicatoribus et doctoribus uerbi dei: qua tamen libertate Paulus sæpe uti noluit, ne inordinati illi eum exemplum habere uiderentur: qua de re plura scribit. 1. ad Corin. 9. cur noluerit uti suo iure, & 2. ad Corin. 11. etiam Gal. 6.

Quod si quis non credit sermoni nostro.

Nota hic Christianam siue euangelicam excommunicationem, quæ debet fieri in eos, qui scãdalum sunt ecclesiæ dei, & non in miseros & pauperes, ut nunc fit ab illis qui digni sunt ipsi excommunicatione, & quos deus pro excõmunicatis habet, quia dilectionẽ ueritatis non suscipiunt. Hæc uides Matth. 18. Si, inquit, ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Ne hoc intelligas, ut papistæ intelligunt, quod talis sit ultra infima tartara deturbandus. Vide hic sanam interpretationẽ: ut (inquit) pudore suffundantur (id est, melius est nobis cum ignominia crucis obprobria ferre, quàm cum gloria mundi damnari) id est, ut discat agnoscere suum erratum, neq; uelut

ANNOTAT. IOANNIS POM.

inimicus habeatur, cū quo non liceat colloqui, ut p-
pistæ docēt: sed admonete ut fratrem, ut respiciens fi-
at alijs fratribus similis et æqualis. Quod uero Ioan.
epistola. 2. prohibet, ne aue ei dicamus: intellige de
adulantibus, et peccata fratrum dissimulantibus, qui, ut
dicit, cōmunicant eorum operibus malignis. Et præ-
terea de illis illic solum loquitur uitandis, qui non per-
manent in doctrina Christi, & qui Christi doctrinam
f. 21 nō habent. Sunt autē, ut dicit, multi doctores, qui exi-
erunt in mundum, qui confitentur Iesum non uenisse
in carnē: ut sunt hodie omnes qui alias satisfactiones,
& operum iustitias nos docentes, non permittunt no-
bis quod Christus in carne sua satis fecerit, non pro
nostris tantum peccatis, sed etiam totius mundi, ut dic-
cit Ioannes epistola prima. Et quod Christi solo meri-
to, non nostro saluamur. De talibus loqui Ioannem nō
dubito, erant enim tū pseudapostoli. De quibus uidet
in omnibus ferē apostolorum scriptis.

Ipse autem dominus pacis.

Quare dominus, siue deus pacis dicatur, diximus
epistola superiori.

FINIS.